Q. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO
DN. FRIDERICO AVGVSTO
ELECT. SAXON. HEREDE

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM DE CHINCHINA AB INIQVIS IVDICIIS VINDICATA

PRÆSIDE

D. IO. GOTHOFREDO BERGERO
ARCHIATRO REGIO, COLLEG. MED. SENIORE
ET PROF. PRIM.

PRO LICENTIA
IMPETRANDI SVMMOS IN ARTE SALVTARI
HONORES

P. P.

HENRICVS DAVID STIELER
DESSAVIA - ANHALT.

A. D. DEC. cIↃ IↃ cc. XI.

IN AVDITORIO MAIORI
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

VITEMBERGÆ, PRELO GERDESIANO.

DE

CHINCHINA

AB

INIQVIS IVDICIIS VINDICATA

DISSERTATIO INAVGVRALIS.

I.

MErito divina vocatur medendi ſcientia, atqve ad ipſum auctorem Deum refertur. Namqve is, uti eſt benignus et providus in genus noſtrum univerſum, e terra herbas procreavit, et alia remediorum

genera condidit, ſuis qvæqve viribus prædita, qvorum uſu, et crebra effectorum atqve eventuum obſervatione, orta eſt hæc ſalutaris profeſſio, ſubinde aliorum ſalute, aliorum interitu, pernicioſa diſcernens a ſalutaribus. Qvam ideo nusqvam non eſſe, vere *Celſus l. de re med.* ſcripſit, in *præfat.* Siqvidem etiam imperitiſſimæ gentes herbas, aliaqva prompta in auxilium vulnerum morborumqve noverint. Qvod enim ille apud *Plutarchum* teſtatur, in *dialogo de brutorum ratione*, fama acceptum, velle Aegyptios omnes inde uſque ab initio medicos audire: idem de gentibus aliis, minus qvidem cultis et moratis, apud alios, ac ſpeciatim de Indiarum incolis, genere hominum indocto et agreſti, apud *Gul. Piſonem*, *lib.* II. *de Indiæ utriusqve re natur. et med.* in *introduct.* relatum legimus: eos paſſim omnes medicinam facere, et morborum notitiam ex ſymptomatibus venari, ac neglectis cauſis occultis et abditis, communi qvadam animi notione eruere indicationes ex morbis, iisqve ſatisfacere contrarium remedium opponendo, et hos qvidem per manus ſibi traditis medendi præceptis, atqve remediis, tantum in arte profeciſſe, ut etiam eos, de qvorum ſalute deſperarint

ſperarint Europæi, iiqve docti, Medici, et Chirurgi, cum horum admiratione brevi feliciter ſanarint.

II.

AC utinam hac ſimplici via omni ævo ad hæc usqve tempora Medici proceſſiſſent, et, ſpretis rerum naturalium, qvæ vocant, principiis, cauſisqve phyſicis, ac hypotheſibus aliis, utpote dubiis, et incertis, certa tantum, et explorata, cauſas puta morborum evidentes, et evenientia in his phænomena, atque effectus, et vires remediorum, eventuumqve varietates, diligenter notaſſent. Sic enim illa ſaluberrima diſciplina, uti ab omni Philoſophorum ſecta ſecreta: ita, omni libera opprobrio vanarum opinionum, poſt obſervationem tam diuturnam, in hac præſertim Anatomes luce, quæ perſpicue docet, a circulo ſangvinis vitam pendere, ab illo perfectionis faſtigio nunc paulo abeſſet propius, qvo eam vel Chymiæ, vel Philoſophiæ experimentalis atqve Mechanicæ adiumento, perductam eſſe, multi fruſtra gloriantur. Sed poſteaqvam Medici, ſeptis revulſis, altius quædam agitare conati, rerum qvoqve naturæ ſibi co-

gnitionem vendicaverunt, tanquam ſine ea trunca et debilis Medicina eſſet, ab illa recta via deſcivere, et Phyſicorum Chymicorumqve ſeqvuti ſententias, multa, eaque contraria, opinionum commenta in illam introduxerunt, atqve in varias diviſi ſectas, ita ſuis qviqve hypotheſibus indulſere, ut non tam de morbis, recte cognoſcendis, et curandis, qvam de reddendis illorum ex ſuis principiis rationibus, iisqve ad hæc ſomnia reducendis, atque ad eadem accommodanda medendi ratione, cogitarint. Qvo fieri omnino debuit, ut, in varios delapſi errores, id demum, ubi medicina opus eſt, adeptos ſe ſentiant, ut verba ſuperſint, deſit medendi ſcientia. Ecquid enim nos aliud conſeqvutos putemus, vel ex atomorum Democriti, et Epicuri, figura motuqve variarum, et huc illuc, ſusqve deqve, caſu et temere concurſantium, glomere, atqve ex omni, qvam cum Gaſſendo multi ſuam fecerunt, Philoſophia corpusculari, vel ex materia, forma et qvatuor elementis Peripateticorum, vel ex materia ſubtili Carteſii, et ignotis tenuiſſimarum particularum motus legibus et figuris, vel ex ſale, ſulphure et mercurio chymicorum, acidi item et alcali pugnis,

gnis, vel ex calidi innati, et humidi radicalis, ignisqve vitalis, tot porro facultatum, ſpirituum, archæorum, fermentorumqve, ac eius farinæ fabulis aliis? qvam ut huiusmodi Medicinæ æqve ac Philoſophiæ illius variæ levitas et inconſtantia appareat. Qvæ ſi minus in Philoſophia reipublicæ obeſt: tamen in Medicina cædes et funera parare poteſt. Cum enim de primis rerum principiis, et hypotheſibus eiusmodi aliis, qvibus ad explicandas vitæ, et ſanitatis, morborumqve, ac remediorum, cauſas vulgo uti ſolent, neqve inter ſapientiæ Profeſſores, neqve inter Medicos conveniat, qvid certius eſt, qvam qvod illa omnia incerta ſint et dubia, atqve ipſa adeo Medicina, qvæ eiusmodi principiis ſuperſtruitur, incerta et dubia eſſe debeat?

III.

AT vero nihil hæc omnia ad Medicinam pertinere, eo qvoqve diſcitur, qvod, uti iam pridem l. c. *Celſus* animadvertit, tam hi, qvi talia ſtatuerint, qvam illi, qvi diverſa de iſtis ſenſerint, ac etiamnum ſentiant, ad eandem tamen ſanitatem remediis uſu exploratis homines perduxerint olim, et hodieqve perducant. Ex quo cuivis eſt perſpicuum, cauſarum huiusmodi,

di,

di, quæ a conjecturis hominum pendent, et disputatione huc illuc trahuntur, investigationem in Medicina supervacaneam, ac inutilem, nec raro damnosam esse, atqve ad eam artem non magis conferre, qvam morborum et remediorum, quæ non ex hypothesibus, sed usu discitur, cognitionem. Siqvidem toto die experimur, morbos, febres v. c. intermittentes, tam ab his curari, qvi hæc aliave agnoscunt principia rerum, qvam ab illis, qvi illorum omnium sunt ignari, aut ea cuncta pro ineptiis habent, et rident. Eandem esse rationem aliarum hypothesium, earundem exemplo febrium patet. Has enim sanari constat non minus ab iis, qvi febres istas oriri volunt ab humoribus putridis, per intervalla cor affligentibus, qvam ab illis, qvi eas vel a pituita, vel a bile, vel a succo pancreatico, aut fermento qvodam acido, vel a sangvinis fermentatione atqve effervescentia p. n. vel a spiritu quodam vitali, aut animali, accenso, archæove irascente et furioso, causisque aliis, nullo nexu cum superioribus colligatis, proficisci contendunt. Qva qvidem ratione fieri videas, idem genus remedii, quod illis in febribus prodesse usus docuit, huic putridos abigere humores, illi pituitam, isti

isti bilem, alteri humorem acidum corrigere, porro qvibusdam fermentationem atqve effervescentiam sangvinis sistere, nonnullis impetum tumultumqve spirituum sedare, vel iratum placare archæum, aliis alia, et qvibusvis qvævis facere, eoqve ridiculas reddi hypotheses et sectas Medicorum, atqve, detracta hac larva, apparere demum, qvantum inani hoc hypothesium amore, et intermisso observandi studio, tot retro seculis damni passa sit medicina, eamqve, sibi relictam, sive nudam et simplicem, nulliqve implicitam sectæ, sed, qvod principio dixi, caussarum saltem evidentium, et virium morborum, remediorumqve, observatione, sive experientia, fultam et innixam, salutarem demum et optimam esse. Nam qvod de febribus dictum est, idem de morbis valere aliis, neminem intelligentium latere potest.

IV.

QVæ qvidem dum affirmo, nihil interea detractum volo, vel Matheseos, vel Philosophiæ experimentalis studiis: siqvidem non uno modo artificis ingenium excitant et acuunt: et qvamvis non faciant Medicum, tamen ornant eum, et aptiorem medicinæ reddunt, modo

caveat, ne cornicum oculos ſubtiliori acie configere nitatur, et ſibi mathematicam qvandam theoriam, uſu medico deſtitutam, fingat, atqve obſcuris omnibus, non qvidem a cogitatione, ſed ab ipſa arte reiectis, veriſſimum eſſe putet, de qvo alicubi conqveſtus eſt Verulamius, deſiderari adhuc Philoſophiam naturalem veram, ac realem, cui Medicinæ ſcientia inædificetur. Merito autem hypotheſes improbo, ac reiicio, qvæ vitæ noſtræ, et morbis, atqve remediis affinguntur, ipſiqve praxi, invita experientia, ſubſternuntur. Cui qvidem rei, ut multa omittam alia, vel unus cortex Peruvianus, qvi vulgo China Chinæ, itemqve Kinkina, dicitur, luculento eſſe documento poteſt, qvem operæ pretium eſſe putavi, hoc loco ab iniquis, qvæ interrupta falſis hypotheſibus experientia peperit, iudiciis vindicari, qvod ſibi par remedium in tollendis febribus intermittentibus non habeat. Nam etſi id ſatis etiam alii oſtenderunt: tamen præcipites qvorundam de natura et viribus eius corticis opiniones tantum valuere, ut apud multos hodieqve male audiat tutiſſimum illud pariter atqve efficaciſſimum genus remediorum.

V.

ID autem, opinor, notius iam eſt, qvam, ut exponi debeat, illum corticem arboris eſſe Peruvianæ, Indis Kina dictæ, cuius hiſtoriam Antonio Bollo debemus, eumqve, diu ante ab illis adverſus febres intermittentes adhiberi ſolitum, medio ſuperiori demum ſeculo, poſtqvam tam diu remedium huiusmodi omni artis ingenio fruſtra qvæſitum et optatum fuit, Europæ innotuiſſe, accedente mox tanta ubivis terrarum exiſtimatione, ut, cum in febre qvavis intermittente, ipſaqve qvartana, qvæ qvondam inter ſcandala Medicorum referebatur, hora una alterave ante paroxyſmum, unius, vel duarum pondere drachmarum, ex vino, vel aqva, datus, nunc unum, pluresve averteret paroxyſmos, modo totam febrim fugaret, vulgo pulveris febrifugi nomen meruerit. Sed uti rerum omnium: ſic etiam remediorum qvædam ſunt viciſſitudines. Nam et illa, qvæ nuper in magno habita fuerunt pretio, tandem qvoqve occidunt, et ſubinde reſuſcitantur. Id qvod eidem huic cortici evenit. Vix enim fama eius plerasqve Europæ partes pervaſe-

 rat,

rat, cum a multis, non modo e vulgo, ſed etiam principibus Medicorum, medicinæ empiricæ, fallacis et doloſæ, nomine appellaretur, qvod interdum qvidem febrim ſupprimeret, plerumqve vero qvosdam eius paroxyſmos tantum ſuſpenderet, certa gravioriqve recidiva. Neqve adeo eius uſu plus effici, qvam, ſi ulceri cavo, et mox erupturo, cicatrix inducatur. Qvodſi ſublata ſit febris, non tamen ægrotum curatum eſſe, ſed vitia humorum relinqvi, indeqve non ſolum reverti febres, et ſæpius multiplicari, nec raro continuas fieri, ſed morbos etiam alios diuturnos, febri graviores, vel reſtare, vel naſci.

VI.

CVi qvidem opinioni favebat, atqve occaſionem dabat hypotheſis, qva febris in fermentatione qvadam ſangvinis aucta, ſecretioni noxiæ materiæ utili, ac neceſſaria, conſiſtere credebatur. Huic deinde facile erat, aliam addere hypotheſin: vi corticis illum ſangvinis motum cohiberi, et ſiſti, eoqve deſpumationem huius, et neceſſarias ſecretiones, excretionesqve, minui, et detentam intus materiam noxiam, in vaſis

et

et viſceribus coacervari et figi, ac periculoſas excitari obſtructiones, nec modo peiores inde recidivas, ſed etiam alia, his graviora, mala proficiſci. Neqve enim corticem vi et facultate alia, qvam conſtringente humores, et viſcera, vaſaqve, aut præterea abſorbente qvidem fermentum febrile acidum, ſed illud tamen concentrante, atqve abdente in vaſis et viſceribus, pollere. Hoc iacto fundamento, etiam non difficile erat aliis, eadem vi corticis coanguſtante et figente irato ac ſævienti in cerebro et nervis, aut ubicunqve tumultuanti, ſpiritui et archæo, qvo minus infenſam naturæ materiam aggrediatur, et eiiciat, compedes iniicere, et porro cuivis qvidvis fingere, modo vis remedii conſtringens, figens, concentrans, includens, et abdens noxiam materiam, eoqve motus et inſultus febriles remorans, febres autem non auferens, ſarta tecta maneat. Qvo qvidem fiebat, ut etiam ii, qvi, experientia convicti, Chinchinam febres curare fateri habebant, id tamen ea non tam tuto, nec tam cito, iucundeqve, qvam ope ſalium, fieri, cum *Barbette*, *Prax. lib.* III, *cap.* 3. exiſtimarent.

VII.

HIs cum consentirent alii, alii dissentirent, inter disputationes, concertationum plenas, in medium prodit empiricus Britannus, qvi, usu Londini edoctus, non qvamvis Chinchinæ qvantitatem febres depellere, et nimium dari pro una dosi ante accessionem, nec tamen satis restituendæ confirmandæqve sanitati, eumqve corticem, qvod eo modo efficere minus possit, aucta, sed divisa in plures partes, dosi, ac iteratis vicibus statim a paroxysmo, eodem die vacuoqve tempore, sumta, feliciter præstare, de nulla solicitus hypothesi, qva id ratione fieret, Lutetiam Parisiorum se contulit, tantaqve ibi felicitate hanc methodum adhibuit, ut accitus ad curationem Serenissimi Delphini, febri laborantis tertiana, ipsi Regi remedium aperuerit, magna auri vi, et annuis reditibus, eqvestriqve ordine donatus. Qvam deinde medicinam Rex tanti fecit, ut eam scriptis divulgari iuberet, constatqve, non alio huc usque remedio usum esse Regem, qvotiescunqve febre qvadam intermittente corriperetur. Ita igitur, qvod Indi empirici invenerunt remedium, a Medicis

dicis vero rationalibus in contemtum addu-ctum eſt, inventa meliori utendi ratione, empiricus Britannus dignitati ſuæ reſtituit. Idem vero docti quidam viri eodem tempore literis prodiderunt, e qvibus in primis *Sydenhamius Tr. de morb. acut.* et *in ep. ad Rob. Brady*, laudem meretur, qvamvis aliter *Liſthero* videatur, qvi modum exhibendi corticem hora una alterave ante acceſſionem vel centies a ſe feliciter compertum eſſe, ſcribit, *Exerc. med.* III.

IIX.

NAmqve illud profecto exercitatione artis et crebra prudentum obſervatione iam ſatis notum eſt, febres intermittentes, modo primarum viarum ratio habeatur, et ventriculus, ubi aut bilis ægrum, aut cruditas, male habet, vomitione levetur, alvusqve compreſſa ſolvatur, ſolius uſu corticis, tuto, celeriter, iucundeqve curari, ſiqvidem is ſtatim a paroxyſmo, ſimul atqve corpus integrum eſt, unius pondere ſcrupuli, vel plus minusve, pro ratione ætatis et conſtitutionis corporis, capiatur, et ita medio tempore, prout id longius, vel brevius eſt, ſingulis horis, vel altera, aut tertia qvaqve hora, ad

novæ

novæ usqve acceſſionis tempus, continuetur, ita qvidem, ut intervallo unius diei in tertiana, minimum ſemiuncia, et biduo in qvartana uncia una conſumatur, et, ſive redierit paroxyſmus, ſive deceſſerit, eodem medio tempore eadem medendi ratio adhibeatur, minore tamen corticis qvantitate, ubi ille non adfuerit. Namqve ita febris ſæpius prima alterave vice decedet, aut multo mitior futura eſt, et, tertia vice adhibito remedio, fere ſemper ceſſabit. Pari modo etiam in qvotidiana, et duplici tripliciqve tertiana, vel qvartana, occaſioni ſerviendum eſt, ut medio qvoqve tempore cortex, qvanta ſatis eſt copia, adhibeatur. Sic enim canalem alimentorum, chyliqve vias, et ipſum ſangvinem vi ſua ſenſim imbuit, ac vitiatam corporis oeconomiam paulatim reſtituit, et corrigit, et infantes peræqve ac ſenes, nec minus viros, qvam mulieres adiuvat, atqve id qvidem moderate, citraqve ullam moleſtiam, qvæ doſin maiorem facile conſeqvitur, efficit. Qvo vero tuti a recidiva ſimus, una alterave a febris diſceſſu hebdomade repetitus per dies aliqvot corticis uſus, bis, vel pluries in die, prout neceſſitas reqviſierit, efficiet. Qvin imo aliqvando tertia,

qvarta-

qvartaqve vice per eadem, aut longiora temporis intervalla, ac præſertim, ubi qvædam febris imminentis ſigna ſe produnt, eadem methodus utilis ac neceſſaria erit. Nam plerumqve unius curatio adulti ſescunciam, vel uncias duas, corticis reqvirit, raroqve infra unciam unam abſolvitur. Non opus eſt hic afferre exempla febris qvartanæ, itemqve tertianarum duplicium, ac triplicium, qvæ, cum uſui corticis, ſatis qvidem diu, ſed copia minus ſufficiente, adhibiti, haud ceſſarent, eius aucta ſaltem, et iterata ſæpius, doſi feliciter profligatæ fuerunt. Hoc modo uſu et exercitatione conſtat, non tantum curationis eventum certum reddi, ſed etiam tempus eventus prædici, neqve aliud eo cortice præſentius antidotum excogitari poſſe, ac qvævis illum remedia alia febrifuga, vel ex ſtibio, hydrargyro, et auro, vel ex cruſtaceis et teſtaceis, vel ex herbis, corticibus, et lignis, amaris, aromaticis, et adſtringentibus, vel ex ſalibus omnis generis, parata, multis poſt ſe intervallis relinqvere. Qvo tamen loco non prætermittendum eſt, ſublata febri, alvum, qvotiescunqve ex intermiſſione officii facta eſt ignavior, lenientibus ſaltem remediis ſubinde ſolicitandam, at-

qve in viam officii, qva exorbitaverat, reducendam, tum qvoqve, ubi qvædam in præcordiis ventreqve molestia sentitur, et homo neqve cibum recte appetit, neqve ab eodem sumto iuvatur, blanda vomitione, vel inferius benignis et mitibus auxiliis, per intervalla clementer expurgandam esse, ne ex saburra ventris, vel residuo humore vitioso, nova vis materiæ noxiæ succrescat, et vix febri liberatum voto suo defraudet, ac recidivam, vel morbum alium, pariat. Cui qvidem scopo etiam Chinchina, mitiori sociata purganti, ut placet *Deckero, Exerc. Pr. p.* 251, conveniet. Ad cathartica vero fortiora, sive naturam magnopere turbantia, agitantiaqve præsidia, non temere accedendum esse, merito multi artis periti monent, qvi infausto id eventu, et certa cum recidiva, plerumqve fieri, observarunt, qvod nondum satis firmatus tonus ventriculi, et intestinorum, novam ab illorum stimulo vim patiatur, atqve compages inprimis tenerrima vasorum lacteorum facile labem inde capiat.

IX.

NEqve vero probare vulgari Medicorum cantilena seducti Sydenhamii cautionem possum,

ſum, ut ne præmature nimis, et anteqvam febris ipſa ſuo ſe marte aliqvantisper protriverit, in uſum hic cortex ducatur: qvod alioqvi non illud ſolum metuendum ſit, ne a præpropero eius uſu inefficax reddatur, et ſpem ægri fallat, ſed etiam, ne de ægrotantis vita agatur, ſi ſangvini, omni fermentationis niſu ſe deſpumanti, eam derepente iniiciamus remoram. Namqve ex opinione vulgi, falſaqve hypotheſi, hanc profectam eſſe cautionem, ſatis cuivis intelligenti patet. Rectius *Badus*, *Donzellus*, *Protoſpatharius*, *Liſtherus*, *Mortonus*, *Iones*, multiqve alii, ſtatuerunt, et nuper admodum doctisſimus *Bohnius*, ſenex experientiſſimus, adverſus Baglivum, *peculiari diſſ. de præmat. intermittent. fuga ſuſpecta*, præclare oſtendit, id qvod experientia docet, præmiſſis qvidem, ſi opus fuerit, evacuantibus, ac præſertim emeticis, mox ineunte morbo, et ante, qvam febris radices egerit, et ſuccos, viſceraqve, ac vires corporis labefactarit, uſu corticis vires illius feliciter frangi et atteri. Sic enim nec recidivarum, nec illorum metus eſt malorum, qvæ male Baglivus uſui corticis adſcribit, cum febri, ac perverſæ curationi, ipſiusqve impuritati corpo-

ris debuisset, qvia recto corticis usu, naturam egregie adiuvantis, causam illorum malorum una cum febri tolli, et experientia monstrat, et ratio suffragatur, ita ut laudatus modo *Bohnius* l. c. testetur, innumerabiles fere, qvibus initio morbi corticem præbuerit, eoqve febrim sanarit, nihil damni cepisse. Ac minus qvidem cum usu artis convenit, qvod habet *Baglivus*, cum *Prax. lib.* II. §. 2 *et* 3, scribit, febrim tertianam nonnisi elapso decimo qvarto die, qvo qvidem tempore sponte naturæ finiatur, febrifuga pati, et irrito prorsus conatu ante illud tempus remedia qvævis adhiberi, aut certe non sine ingenti damno rudes Medicos intempestivo febrifugorum usu eam febrim, veluti in ovo, iugulare conari: qvod, paucis interiectis diebus, vel ipsa redeat ferocius, vel eius loco qvamplures gravissimi morbi, asthmata, hydropes, febres lentæ, phthises, aliaqve mala, emergant. Hic discere potuisset a Præceptore suo, *Luca Tozzi*, qvem rudem videri nolit ipse Baglivus, aphorismum Hippocratis LIX, Sect. IV, qvo tertiana exqvisita septenis ad summum circuitibus terminari dicitur, qvove illius sententia innititur, non ita capiendum esse, ac si ante septem circuitus, sive ante

diem

diem decimum tertium, qvo ſeptima acceſſio revertitur, febris hæc nunqvam a natura vincatur, ſed ſummum eo terminum indigitari, ita, ut ſenſus ſit, febrim hanc exqviſitam, ſi non prius, qvam tardiſſime ſeptima acceſſione finiri, atqve extremum eius terminum eſſe ſeptimum acceſſionis reditum, cum ſcilicet, ut ait *Tozzi, Comm. in aph. Hipp. p. 322, nullo artificis auxilio interrupta, ſponte ſua, ut conſvevit, proceſſerit. Sin,* addit idem, *antifebrilium medicamentorum, ut noſtra fit ætate, uſu corticis Peruviani, eius impetus infringatur, et periodicum fermentum hebetetur, profecto citius eſſet abitura, ſicut iamnunc paſſim experimur.* At vero febrim hanc raro qvidem illo finiri termino, ſed fieri plerumqve, ut vel errore curantis, aut ægroti, vel ipſius mala naturæ habitudine, vel conſtitutione aeris minus congrua, cauſave alia occulta, febris non modo ultra illum terminum extendatur, ſed etiam duplex triplexve evadat, notum eſt cuiqve, et ipſe monuit *Hippocrates*, cum in *Coacis*, tertianam exqviſitam, aut qvinqve, aut ſeptem, aut novem periodis finiri, tradit. Qvamobrem hic doctiſſimus Medicus febri huiusmodi mature remedia adhiberi ipſe voluit, cum *lib.* II. *de morb.* inqvit:

qvit: *Si febris tertiana detineat, ſiqvidem poſt tres paroxyſmos qvartus prehendat, purgans per inferiora propinato: qvodſi purgante non egere tibi videatur, pentaphylli radices, acetabuli qvantitate in aqva tritas, bibendas dato. Si vero nec ſic qvidem ſedetur, ubi multa calida laverit, trifolium, et ſilphii ſuccum cum vino pari aqva admixta, propinato, reclinatumqve ſtragulis, dum ſudet, contegito.*

X.

NOn pluris facienda eſt experientia *Pallilii*, cum in *ep. ad Baglivum*, Gallos, ſcribit, pene omnes Chinchina in febribus feliciter uti, ſed minime id in agro Romano, natura Galliæ, ob varietates ventorum, tempeſtatumqve cœli, et exhalationum, valde diſſimili, ſuccedere. Qvapropter uſum eius remedii ad frænandam ſiſtendamqve febrim ridet, et nunqvam id, niſi in fine febrium, ad roborandum ſaltem ſtomachum, morbi diuturnitate relaxatum, atqve ad reſtituendum primævo vigori ſangvinem, longa morbi præſentia iam vapidum, adhibendum cenſet. Sed mireris merito, Medicum Romanum non pari felicitate eundem adhibere

bere corticem didiciſſe, qva illo non ſolum adverſus febres intermittentes tam diu magno lucro Patres Ieſuitæ in Collegio Romano, ſed ipſis qvoqve in febribus qvibusdam continuis Medici Romani, ut Cardinalis de Lugo teſtatur in *ep. ad Lanzonium*, uſi fuerint. Eundem corticis effectum, qvem evidentem, ac miraculoſum vocat, etiam Florentiæ expertus, ita publice collaudat *Fr. Redi* in *Exper. natur. p.* 143, ut prædictis Patribus univerſum orbem gratias debere putet, qvod eundem primi omnium cum tanta ſua gloria in Europam detulerint. Qvo vero minus viribus corticis ventorum ac tempeſtatum mutationes, atqve exhalationes foſſilium, obſtare videantur, ſecurum Pallilium laudatus modo *Tozzi*, Neapolitanus, Medicus doctus, et longo uſu exercitatus, reddere poteſt, qvi l. c. occaſione aphoriſmi Hipp. XXV, Sect. II, febres qvartanas, qvas antehac Medici longiſſimas, ac fere immedicabiles, habuerint, hac noſtra ætate unius ope corticis Peruviani, tam cito tutoqve fugari, docet, ut vel hinc patere liqvido poſſit, qvam hæc veterum, in medicina facienda, temporibus præcellant. Neqve ſolum in qvartanis, ſed etiam in tertianis, ceterisqve intermittentibus,

cum

cum primum ſunt invaſuræ, utiliter adhiberi, teſtatur. Quin imo ſibi compertum eſſe ait, eundem corticem febres qvoqve continuas, ſi opportune adhibeatur, infringere, atqve intercipere, etiamſi mali moris ſint, nullumqve catharticum præmiſſum; modo dies aliqvot præterierint, qvibus fermentum febrile qvodammodo extenuatum, exagitatum, ac diſſolutum fuerit.

XI.

EQvidem maiorem putarim cautionem reqviri in uſu corticis Peruviani in curatione febrium continuarum, neqve eum temere adhibendum eſſe iis in febribus, qvæ continentes ſunt, nec remittunt, nullaqve afflictis qvietiora tempora præſtant, ſed uno tantum circuitu abſolvuntur. Neqve vero eidem facile locus erit concedendus in qvibusvis continuis, qvæ remiſſiones atqve exacerbationes ſuas, easqve vel ſtatas et certas, vel incertas vagasqve, habent. In qvibus enim febribus æſtus atqve exacerbatio vehementius diutiusqve urget, et minor eſt remiſſio, eisdem minus par vis corticis deprehenditur: Qvo vero eædem plus de fervore remittunt, et propius accedunt ad intermit-

termittentes, ita, ut ante novam acceſſionem, aut leve externarum partium frigus, aut dorſum occupantes horrores, perſentiantur, hoc tutius iis hunc corticem, maioriqve efficacia, adhibere licebit. Ex qvo facile intelligitur, febrium continuarum, ſive acutæ ſint, ſive lentæ, qvarum et certi circuitus, et qvietiora ſunt tempora, expeditiorem rationem eſſe. Ac de his qvidem intelligendæ ſunt obſervationes, qvas in *Zodiaco Med. Gall. Ann. II*, *m. Aug.* et *Ann. V*, *m. Ian.* itemqve apud *Badum*, *tr. de Cort. Peruv.* et *Capuccium*, *ep. ad Protoſpath.* relatas legimus. Nam ubi ſangvis lenteſcens naturæ negotium creat, et inflammatio ſubeſt, æſtuqve continuo corpus iactatur et intenditur, melius ſalibus nitroſis, et alcalicis, ſalſisqve, ac eius generis remediis, æſtum temperantibus pariter, ac facilem blandumqve cientibus ſudorem, rem agi comperimus. Idemqve haud raro obtinet in intermittentibus, qvæ pluribus paroxyſmis, iisqve præſertim vagis, uno die vires convellunt, neqve procul a continuis abſunt.

XII.

ATqve hæc qvidem in uſu qvotidiano collo-

cata ſunt. Accedit, qvod itidem experientia comprobavit, hoc maiore corticem vi pollere, qvo ſimplicior eius eſt præparatio et compoſitio. Solent qvidem alii alia, tanqvam corrigentia, vel adiuvantia, ac præſertim ſalem abſinthii, vel eius generis alium, nitrum item antimoniatum, arcanum duplicatum, tartarum vitriolatum, ſalem ammoniacum, antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale, pulveres teſtaceos et cruſtaceos, corticem fraxini, lignum colubrinum, iuniperi, ſaſſafras, rad. gentianæ, contrayervæ, ſerpentariæ Virgin. baccas iuniperi, fabas S. Ignatii, putamina nucum, herb. abſinth. chamædr. fl. centaurii min. chamæmeli, ſulphuris, theriacam, ipſumqve opium, et varia demum purgantia, cortici commiſcere, et ſuas qviqve compoſitiones commendare. Sed modus hic, ne farrago fiat remediorum, adhibendus eſt, imitatione naturæ, qvæ nihil fruſtra, aut ſuperflui, facit: ſicut contra etiam nulla in re deficit. Id optime priſca vetuſtas ſcivit, et merito de Indis *Piſo* l. c. his verbis laudat: *Certe cum conſidero, gentem hanc ſimplicibus, et cuivis obviis, ac vilioribus, herbis feliciter mederi affectibus contra naturam, tam ex-*

ternis

ternis, qvam internis: non dubito priscam Medicinam omnino talem fuisse, ac maximam partem compositorum istorum medicamentorum, a recentioribus inventam esse, suo potius, qvam ægrotantium, commodo. Vt vix me contineam, qvin cum Plinio exclamem: Qvo Deorum istam perfidiam monstrante, hæc constituta sunt, ut sæpe contrariis qvalitatibus constantia medicamenta simul misceantur, nisi ut carnificinam (addo et aurificinam) in humanum genus exerceamus. Qvare tametsi cum Sydenhamio illos omnes, qvi aliud qvid, præter idoneum vehiculum, eidem cortici adiiciunt, vel inscitiæ, vel doli mali, arguere nolim: tamen, si dicendum est id, qvod toties exploratum compertumqve multi docti viri habent, solius mihi corticis usus sanandis febribus intermittentibus plerumqve sufficere videtur, modo in tenuissimum redactus pulverem, qvacunqve libuerit forma, in qvam ope aqvæ, vini, et syrupi cuiusdam, redigi facile potest, eo, qvem dixi, modo adhibeatur. Siqvidem nullum miscendi artificium postulat, sed cuiusvis tantum palato idoneo vehiculo ita aptandus est, ne vis eius ab additis minuatur. Neqve maiorem vim vel liqvoribus, cum cortice

fermentatis, vel eius essentiæ, spiritu vini paratæ, extractove, tribuendum puto.

XIII.

VT vero hæ vires corticis compertæ sunt et manifestæ: sic ratio et causa earum minus qvidem constat. De qva cum sit difficile dicere, perinde, ut res postulat, ibo, qva potero, et qvidem medico magis, qvam philosophico pede, visurus primo ea, qvæ sensibus patent, et tentabo deinde, qvousqve in interiora penetrare iuvet et liceat. Satis autem opinor constare, saporem Chinchinæ perqvam amarum, et subadstringentem esse. Notum est etiam, eum vi ignis parum liqvoris vel spiritus acidi, et oleum fœtidum et crassum, salemqve, herbarum more amararum, lixivium, sive alcalicum fixum, præbere, uti *Pitcarnius, Diss. med. p.* 137, et *Lemery, Cursu chym. edit. V. cap. XIX, p.* 341, notarunt, et ipsi comperi. Tum vero et illud liqvet, eundem corticem omnis generis liqvoribus solvi et extrahi, atqve aqvæ, vino, et spiritui vini saporem suum facilime largiri, ac infusionem eius in vino non minus, qvam decoctionem in aqva, sangvini, vena secta misso, permixtam, fluidum eum et rutilantem reddere, et porro

porro decoctionem illam, ad unam duasve uncias in venam canis iugularem ſiphone immiſſam, vehementem primo palpitationem cordis, mox ſpaſmos varios, in tetanum demum, mortemqve, deſinentes, inducere, et, ſectis deinde venis, ſangvinem rutilantem, et nimis tenuem, rarumqve, profluere, ut factis experimentis teſtatur *Io. Freind* in *Emmenol. cap. XIV.* Qvibus addendus eſt effectus varius, qvem prudens qvisqve, cui familiaris eſt eius corticis uſus, deprehendit, et multi præſtantes arte viri, ac præſertim *D'Aqvin*, *Liſtherus*, *Bohnius*, *Monginotus*, *Sydenhamius*, *Iones*, *Deckerus*, animadverterunt, egregie hunc corticem ventriculum roborare, et acuere appetitum, ac deficientem corporis calorem excitare, viresqve reficere, nec ſolum tranſpirationem promovere, ſed etiam ſudorem, et urinam, ſubindeqve alvum, præſertim ſi recens ſit, ciere, et qvandam qvaſi diarrhœam parere, ita qvidem, ut, ea deiectæ, fæces particulas corticis, materia qvadam viſcoſa ac tenaci obvelatas, oſtendant, et, qvi hoc effectu uſi ſint cortice, omnes febre liberi manſerint, nec ullo inde oriente ſymptomate atqve incommodo afflicti fuerint.

XIV.

EX his enim collatis inter ſe comparatisqve illud ingenio et ratione, qvantum homines poſſumus, aſſeqvimur, vi non minus ſolvendi, qvam ſtringendi, eo artificio mixtam eſſe Chinchinam, ut ſanandis plerisqve febribus, qvæ ex primis viis ortum et fomitem habent, apprime conveniat. Qvod ut clarius appareat, neminem puto inficias iturum, de qvo ipſos conqveri febricitantes audias, iis in febribus ventriculum et inteſtina langvere, nec cibos recte confici, et inde profecto crudo lentoqve ſucco ſangvinem inqvinari, ac in eodem febris materiam colligi. Neqve profecto ad hanc excitandam aliud qvid præterea, qvam pulſus cordis freqventior, ab illo eodem ſucco, vel undecunqve excitatus, reqviritur. Qvod autem crudus ille ſuccus ex primis viis in venas et ſangvinem admittatur, id procul omni dubio laxatis et labefactis vaſis lacteis tribuendum eſt. Nam uti ea nonniſi tenuem ſatis liqvidumqve ſuccum transmittunt, qvamdiu in iis pororum, per qvos aditus ex inteſtinis patet, anguſtia et firmitas conſtat ſibi, vigetqve: ſic ubi qvavis cauſa labe-

facta

facta et laxata sunt eadem vascula, liqvoribus etiam crassioribus aditus et transitus conceditur. Id qvod eleganti hoc experimento, qvod habet *Listherus* in *Act. Phil. Lond. n.* 93. 142. 275, demonstratur: Nimirum si cani, inedia qvadraginta minimum horarum admodum famelico, carnis coctæ et aridæ, ac sine ullo humore ad augendam sitim, aliqvot unciæ dentur, eiusqve intestinum duodenum post qvinqve horas perforetur, et immisso siphone libra aqvæ tepidæ, indigo bene trito tinctæ, iniiciatur, ac postea, consuto foramine, canis, vinculis solutus, sibi relinqvatur, horisqve tribus exactis, venter eius aperiatur, vascula lactea non sine magna animi voluptate cœruleo plena liqvore conspiciuntur; certo indicio, vasa illa, qvoqvo modo labefacta, non liqvores tantum coloratos, sed crassiusculos etiam pulveres, et facile, et copiose, admittere.

XV.

IAm igitur si eam Chinchinæ vim, stringentem pariter ac solventem, ad illum, qvem dixi, statum morbosum in febribus accommodemus, rationi perqvam consentaneum erit, eam instaurando tono ac robori ventriculi et intestinorum,

atqve

atqve hinc procedentium venarum lactearum, et vasorum ac viscerum reliqvorum, qvo ad concoctionem ciborum, et rectam chyli secretionem, tum et circuitum sangvinis, et ab eodem pendentes secretiones excretionesqve, præcipue opus est, ita prospicere, ut interim succus lentus et viscidus dividatur, attenuetur, et abstergatur, qvodqve eius ventriculo et intestinis obhærescit, facilius in alvum corporisqve sentinam excidat, qvod vero in vasis et visceribus, ipsoqve inest sangvine, naturæ robore atqve imperio, sive, ut clarius dicam, vegetiore circulo sangvinis per ductus renum, et totius habitum corporis, glandulasqve intestinorum, ac bilis vias, foras proiiciatur, eoqve modo febris aliqvando fluxione alvi, sæpius perspiratione aucta, obortoqve sudore, et urina crassa ac largiore, solvatur. Qva qvidem ratione cum et elaboratio, et secretio chyli instauretur, succusqve crudus per firmatas angustias intra vasa lactea neqve admitti, neqve deduci in sangvinem possit, et qvicqvid eius collectum fuit, per tot naturæ exitus, ac præsertim per instauratam transpirationem, sensim paulatimqve profligetur, fiat necesse est, ut cum statu corporis mutato

tato febris decedat, et ſanitas redintegretur. Cumqve in hominibus variis varia ſit læſio toni vaſorum ac viſcerum, atqve humoris lenti et viſcidi copia et indoles, id qvidem patet, non unam omnibus Chinchinæ qvantitatem ſufficere, et uſum eius, aliqvandiu continuatum, ſubinde etiam repetitum, extirpandis febribus, et confirmandæ valetudini, utilem ac neceſſarium eſſe. Liqvet etiam, eadem corticis vi Medicum naturam egregie adiuvare, qvam ipſum præeuntem adminiculantemve habere, vel inde appareat, qvod qvivis paroxyſmus febrilis, totaqve non raro febris, copioſo ſudore, urinaqve cocta, decedere ſoleat, et corpus integrum reddat. Neqve ſolius ope valentis ac vegetæ tranſpirationis febres ſanari, mirabitur, qvi ex Sanctorianis obſervationibus noverit, eam omnium excretionum maximam eſſe, et reliqvas cunctas ſenſibiles coniunctas longiſſime ſuperare. Ac eandem ob cauſam etiam qvartanæ æſtivæ magna ex parte breves, autumnales vero, et maxime, qvæ hyemem attingunt, longæ eſſe ſolent, ut *aph. XV, Sect. II, Hippocrates* advertit. Indidem perſpicuum eſt, qvantum emetica, ac lenientia, ſive ſordes primarum viarum eluentia et abſter-

abſtergentia, perſpirationi ventriculi et inteſtinorum, totiusqve corporis, neqve uno adeo nomine curationi febrium faveant et conferant.

XVI.

QVodſi nunc ratio et natura Chinchinæ ita comparata eſt, ut ſtringendi pariter ac ſolvendi, ſive roborandi aperiendiqve vi gaudeat, in aperto eſt illorum error, qvi Chinchinam viſcera et ſangvinem conſtringendo, motumqve eius cohibendo, et materiam noxiam figendo, atqve in viſceribus abdendo, febres ſiſtere, eoqve modo et recidivas, et morbos graviores inferre, contendunt. Hi ſi illud tantum conſiderent, qvod qvotidiana experientia confirmat, Chinchinam non modo ſudorem et urinam movere, ac deficientem corporis calorem reficere, ſed etiam ante paroxyſmum febrilem doſi paulo maiori ſumtam, haud raro frigus qvidem minuere, ſed tanto magis æſtum intendere, aliter fortaſſe ſentient, facileqve comprehendent, tantum abeſſe, ut illud divinum remedium obſtructiones viſcerum, cachexiam, icterum, hydropem, aliosqve morbos chronicos pariat, ut potius eosdem, ex febribus præſertim ortos, feli-

citer ſanet. Ita enim *D. D'Aqvin*, ut in *Zodiaco Gall. Ann. V, m. Aug.* extat, animadvertit, uſu eius febres per inſenſibilem tranſpirationem, imo ſæpiſſime per copioſam ſudorum profuſionem, decedere, adeo, ut etiam illius vi alvus motu critico reſeretur, et in plurimis ægris viæ urinariæ pateant excretioni adeo ſalubri, ut una cum qvartana hydrops, ab illa excitatus, diſparuerit. Idem *Iones*, *tr. de febrib.* et *Reſtaurandus*, *Hippocrat. de uſu Ch. Ch.* ut alios taceam, ſe obſervaſſe, teſtantur. Meminit Præſes Studioſi cuiusdam, qvi cum per plures menſes qvartana laboraſſet, et diu purgantibus, ac ſpiritu ſalis ammoniaci, et bezoardico, cum eſſentiis amaris fruſtra uſus eſſet, accedente ingenti tumore pedum oedematoſo ad ventrem usqve, præmiſſo emetico, ſolius uſu Chinchinæ, et applicato pedibus ſpiritu vini abſinthite, brevi reſtitutus fuit. Qvodſi Chinchina vi tantum adſtringente febres ſiſteret, et tanta, qvanta vulgo proferuntur, damna pareret, profecto nemo innumerabilium, qvi eodem remedio per unam pluresve hebdomadas ad unam, duas, pluresve uncias uſi ſunt, ab iis immunes manſiſſent, atqve ad perfectam valetudinem rediiſſent. Qvod tamen rerum uſus

docet, et nemini, niſi uſus Chinchinæ imperito, ignotum eſſe poteſt. Itaqve, ſi vel recidiva, vel morbus alius febri cuidam, cui fugandæ Chinchina adhibita fuit, ſuccedat, id certe non remedio inſonti, ſed vel inepto eius uſui, vel erroribus ægrotantis, vel impuritati corporis, et neglectæ curæ ac providentiæ accidentium, qvæ et alia qvævis febrifuga ſubſecuta fuiſſent, tribuendum eſt. Vt enim remedium recte agat, recta etiam methodo ſecundum varias indicationes adhibendum, ac providendum eſt, qvid ante uſum, qvid in uſu eius, et qvid demum poſt eundem, faciendum ſit. De recidivis recte *Reſtaurandus*, l. c. in *præfat.* *Qvid iniqvius*, inqvit, *qvam a China Chinæ extorqvere, ut neqvaqvam ab ea aſſumpta revertantur febres? Nunqvid ſæpe ſæpius animadvertitur illarum reditus, poſtqvam fuerunt curatæ ab aſſumptis catharticis, aliisve remediis? Præterea an China Chinæ tenetur prohibere, ne, qvi reduce fruitur valetudine, errata in diæta committat? ne cauſæ externæ, et animi pathemata febrim exulem renovent?*

XVII.

XVII.

NOn opus eſſe puto hic, vel de fermentatione ſangvinis, qvam cortex ſiſtere dicitur, vel de ſpiritu vitali, aut animali, illo qvorundam febrium intermittentium fabro, qvem idem remedium mulcere et ligare volunt, aliqvid addi: Siquidem fermentationem ſangvinis nullam, et illud adeo ſimile, qvo cereviſiæ fermenteſcenti iniecta amara fermentationem ſiſtere dicuntur, hic prorſus diſſimile eſſe, in vulgus iam notum eſt. Nec minus ſpiritus, vel, ut qvibusdam vocatur, archæus faber a prudentibus exploſus eſt. Ii vero, qvi febrim motum naturæ ſalutarem vocant, et conatum, qvo illa noxium ab utili ſegregare eiicereqve intendat, monendi ſunt, ne naturam conſulto et cogitato, ſtudioqve tuendæ ſanitatis, ut placere nonnullis video, motus febriles excitantem, atqve ad bonum finem dirigentem, ſibi fingant, cum ea ſolius vi artificioſæ conſtructionis ſuarum partium, et prorſus *ἀπροαιρέτως*, ac neceſſario, nullo iudicio, nulla præcognitione, nec raro ad ſui interitum potius, qvam conſervationem, agat. Nam qvoqvo modo febris naturam indagemus, eam a corde,

non a facultate qvadam cognoſcente, cuius conſilio prudentiaqve regatur, ſed vi cauſæ cuiusdam morbificæ, qvæ varia eſſe poteſt, ad pulſum ſive contractionem velociorem adacto et incitato, pendere deprehendemus. Qvo qvidem cordis motu cum ſangvis in rapidiorem abripiatur circuitum, eoqve et totum corpus, ſæpe una cum anima, conturbetur, et nunc ſolutio excretioqve humoris noxii, modo aliarum læſio partium, aut maior et ſolidi et liqvidi corruptio, ſeqvatur, neceſſe eſt, poſt tot exantlatos cordis labores, febrim vel in ſanitatem, vel in morbum alium, vel in mortem verti. Qva ratione iam olim *Celſus*, rem melius intelligens, febrim ſæpe præſidio eſſe dixit, l. c. *lib.* II, *c.* 8, nimirum ratione aliorum morborum, a qvibus ſolutione eiectioneqve vitioſæ materiæ hominem liberat. Sed qvia febribus homines maximo vitæ diſcrimine conflictari, nec minus eos obire cernimus, qvi ſolius bonitati naturæ confidunt, id qvidem patet, in earum curatione naturam, ubi recte movet, ſibiqve ſola ſufficit, nulla importuna medicina temere irritandam, vel impediendam: ſin aliter eveniat, et natura ſe expedire a morbo, qvo implicatur, minus poſ-

ſit,

ſit, aptis eam auxiliis adiuvandam, et arte ſupplendum eſſe, in qvo ipſa deficit. Nam ideo Deus, ſortis miſertus noſtræ, tam multa dedit remediorum genera, tamqve varia arte mirabili et conſilio ad variorum ſanationes morborum diſtribuit, ut eorum adiumento laboranti atqve afflictæ naturæ ſuccurramus. De febribus qvidem intermittentibus ſatis conſtat, eas ſolius vi naturæ perraro ita domari, qvin diu hominem graviterqve teneant, ac graviora tandem mala inferant, genuino autem Chinchinæ uſu ita expugnari, ut etiam qvartana, qvæ miris qvondam modis et laborantes, et curantes, fatigabat, iam prope leviſſimis morbis annumeretur.

XIIX.

IN qvo autem ſitum ſit illud mixtionis artificium, unde iſta ſingularis in fugandis febribus vis et efficacitas pendet, qva Chinchina inter cetera eminet remedia, qvæ cum ſapore, tum productis chymicis, et viribus roborandi aperiendiqve, cum eadem alioqvi qvodammodo conveniunt, ego qvidem ingenue ignoro, neqve id ægre fero, cum mea interſit, noſſe vires corticis et proprietates ex uſu et effectis, qvæ in corpo-

ribus

ribus noſtris præſtat. Neqve enim aliunde rectius, qvam ex eventibus, ſive obſervationibus, caute et accurate factis, vires remediorum perſpicere poſſumus. Ex vultu coniecturam facimus, qvantum qvisqve animi habeat. Vires autem Chinchinæ non modo non aſpectu, ſed nec odoratu, neqve guſtatu ſentire et percipere poſſumus. Ac fruſtra tempus conſumit, et oleum ac operam perdit, qvi eas ad gradus caloris et ſiccitatis referre, vel miniſterio ignis atqve analyſi chymica evolvere, et vel ad ſalis, aut ſulphuris, aut terræ dominatum, vel ad acidi et alcali pugillationem, vel deniqve ad materiæ ſubtilis et igneæ motum, aut ad turbas ignotarum figurarum revocare nititur. Vim novi magnam eſſe in ipſa partium proportione, ut ex mixtura carbonis, nitri et ſulphuris, rebusqve aliis, ac medicamentis artefactis patet. Sed qvis aliter Chinchinæ partes, et earum comparationem proportionemqve, qvam coniectura, aſſeqvetur? Et ſi vel maxime cognitam eam habeamus, non tamen melius febres curabimus, neqve aliter vires eius et utilitates, qvam uſu et periclitatione, addiſcere poterimus. Qvo magis mirari ſubeat, alios in parte ſalina alcalica,

acidum

acidum abſorbente, alios in terrea, adſtringente, illas eximias ac præcellentes Chinchinæ vires qværere, cum planum ſit, nullum vel alcalicum, acidumqve abſorbens, vel terreum, adſtringensve remedium, eadem virtute pollere. Nec vero eſt, ut in huius rei argumentum radices pentaphylli adducantur, qvas qvippe, ut alia, qvæ hic moneri poſſent, taceam, experientia docet, vix parva Chinchinæ parte æqvari conferriqve poſſe. Hoc ſcite *Sponius* monuit, cum in *Obſerv. de febrib. et febrifug. qv. XXII*, ſcribit: *Hippocrates in febribus intermittentibus radice pentaphylli utitur: ſed niſi hæc planta maioribus polleat viribus in Græcia, exiguæ his in regionibus deprehenduntur, etſi levis adſtrictionis ſit particeps; qvamobrem addit, niſi deſinat febris, exhibeatur ægro ſuccus trifolii, cum ſucco ſilphii ex vino, æqvali portioni aqvæ remixto.*

XIX.

QVæ cum ita ſeſe habeant, patet profecto, qvo iure magnam hanc medicinam, qvam merito miraculoſam vocat *Fr. Redi*, l. c. et cui principem locum inter omnia, qvotqvot ſunt, remedia deferre non dubitavit *Sydenhamius* l. c. nomine medicinæ empiricæ, fallacis, et doloſæ,

 in

in contemtionem multi adduxerint. An enim aliter alia qvævis præstantia remediorum genera inventa sunt, præterqvam usu, et effectorum atqve eventuum observatione, sive ἐμπειρία? An aliunde novimus, vires radicis vomitivæ Ipecacuanhæ in dysenteria, in vigiliis et doloribus opii, in lue venerea hydrargyri, ligniqve Indi, qvod gvaiacum dicitur, in scorbuto Britannicæ herbæ, et corticis VVinterani? ut emetica, purgantia, atqve alia prætercam remedia. Annon ipse Hippocrates artem medendi experientia didicit? Is enim, cum mos iis temporibus fuisset, liberatos morbis scribere in templis Apollinis et Aesculapii, ut postea similitudo proficeret, exscripsisse medicamenta longo usu et periclitatione comperta ex pendentibus tabellis dedicatitiis perhibetur, et cremato templo Aesculapii in Epidauro Medicinam hanc instituisse, quæ Clinice dicitur, circa decumbentes in lectulis invisendos et percurandos occupata. Qvamvis negandum non sit, eum tum a patre Heraclida, tum ab avo Hippocrate, etiam præceptis qvibusdam institutum atqve imbutum fuisse. An hucusqve ex Mathesi, et Philosophia, vel Peripatetica, vel corpusculari, atqve experimentali, Chymiæve laboribus, et omni ingenii vi, præstantius Chinchina, vel

vel ei ſaltem par, febrifugum inveniri potuit? Tempus et charta me deficerent, ſi cuncta remedia, qvæ ſorte ſola, vel caſu deprehenſa, ac ſæpe diuqve qvæſita, fortuito tandem, qvaſi divinitus inventa, atqve a brutis etiam animantibus, a natura facultates multarum herbarum experiendo edoctis, monſtrata, et uſu obſervandiqve conſvetudine, ſenſuum magiſtra et perfectrice, reperta ſunt, ſigillatim proſeqvi vellem. Ac nimis qvidem inter cordatos conſtat, qvantum ſine huiusmodi remediis in curationibus morborum valeamus. Recte laudatus *Piſo*, atqve ad mentis meæ ſenſum l. c. ubi de Medicina utriusqve agit Indiæ: *Qvamvis plurima in hac barbarie occurrant cruda, corruptaqve, et Hippocratica arte indigna: ſunt tamen non pauca inſuper utiliſſima, atqve antiqvitatis æmula, qvæqve vel eruditisſimos Medicos exercere qveant. Multarum ſane artium rudimenta ipſis ab animantibus (qvæ benigna mater natura noluit carere arte inſita inprimis curandi morbos ſuos) ad nos redundare fatendum eſt. Qvis dubitet ab his etiam mortalibus, licet remotisſimis a dogmatica medendi arte, non tantum ſaluberrima et ſecreta remedia, antidota, medendiqve modos, veteribus incognitos, ad nos poſſe derivari; qvibus paulatim per manus traditis, et tandem qvaſi in ſuccum et ſangvinem, a Rationalibus converſis, Doctorum Scholæ et libri ſuperbiant, modo acceptis e vulgo remediis ratio et rectus uſus adhibeatur, in qvo Summa artis poſita eſt?*

XX.

AD ultimum cum errores eorum, qvi Chinchinam Medicinæ fallacis et doloſæ inſimulare non dubitaverunt, iam ſatis per ſe ipſi pateant, verbis ſuper

perſedeo. Nec vero qvicqvam de diſcrimine inter corticem verum, et adulterinum ac fucatum, hic addendum puto, cum ille iam in vulgus notus ſit, ac vili admodum pretio veneat. Concludam ſententia Præſidis, qvam pridem de viribus Chinchinæ fini diſſertationis de inflammatione adiecit, et veram eſſe deprehendet, qvi eo cortice recte utetur: Febrium intermittentium tutiſſimum pariter ac fortiſſimum remedium eſt cortex Peruvianus, cuius uſum qvi principio illarum diſſvadent, ægrosqve aliqvandiu vexandos cenſent ante, qvam illum adhibeant, nil plus ſapiunt iis, qvi hydropis, febres illas excipientis, culpam in eundem conferunt. Nam ſatis præclara ſuarum virium exempla prodidit in debellandis, non ſolum novis, cœptisqve febribus, ſed etiam inveteratis, iisqve cum oedematoſis pedum tumoribus, et aqva intercute, febre collecta, coniunctis, itemqve continuis ipſis, nulla omnino vomitione, aut ſangvinis miſſione, aliave exinanitione ſenſibili adhibita, qvarum aliam atqve aliam, interdum qvidem neceſſariam, nonnunqvam vero inutilem, ac perniciosam exiſtimaverim. Nec vero minus rationi conciliatur eadem corticis efficacia, cum vis non minor aperiens, ac divellens, et diſſipans in minima lentorem febrilem, qvam corroborans in eo inſit; ſecus, atqve opinantur, qvi obſtructiones inde, febres duplicatas, et cachexias metuunt, naturæ tanti remedii, ac uſus, indolisqve febrium ignari.

